Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2245
Quelle:
Copyright:

tonius in *Bibl. Hisp. Vet.* novus Editor *Fr. Perez Bayerius* T. II. p. 228. se reperisse negat. *Montefalconius* in *Bibl. Mss.* nullum adfert. Autoris nostri Fata et Scripta percensent *Ciaconius* in *Vit. Pontiff. et Card. Oldoinus* in *Athen. Rom. Fabricius* in *Bibl. med. Lat. Nic. Antonius cit.* qui tamen gentilitio nomine a quibusdam *de Villa Vitiosa* dictum fuisse ignoravit, quamvis in *Decreto 3. Sess.* XXXVIII. solummodo *Archidiaconus de Villavisoza* nuncupetur. A *Pseudofelice* V. Cardinalem creatum unioni consensisse sub *Nicolao* V. tradit *Aen. Silvius Europae* c. 42. et ex eo, ut videtur, *Job. Nauclerus* in *Chron.* ad an. 1439. Contra *Aug. Patritius* in *Summa cit.* c. 143. in sua pertinacia usque ad extremum vitae permansisse narrat. Atque id fortasse rectius; nam, cum *Nicolaus* plures a *Felice* constitutos Cardinales in hac dignitate confirmaret, *Johannes de Segovia* inter eos non fuit.

V. *fol.* 259. p. 2. *Incipit Tractatus Eximij Doctoris et timorate conscientie viri Domini Johannis Palomar Auditoris Sacri pallacij Cui negotia Basileen. plene innotuerunt.* Id quidem indubium, si vel ad ea advertas, quae utroque hoc *Volumine* de *Palomario*, seu *Polemario* relata sunt. Praesens Tractatus acris est *Eugenii* IV. Defensio, quae init: *Non fuit moris mei eciam cum adhuc iuuenis essem allegaciones ciuiles facere et a lateribus querere ut possem plura capitula nominare, sed stricte disputationis aciem ad punctum dirigere questionis* &c. Perstringere haec videntur *Nicolaum de Tudescis* dictum Card. *Panormitanum*, qui omnia Citationibus ex U. J. infercire solebat. Tribus porro *Conclusionibus* rem suam agit Noster: 1) *Impossibile est generale Concilium sua lege auctoritatem sibi ipsi et potestatem augere, quam ante non habuit, tribuendo.* 2) *Concilium Constant. Senen. et Basilien. non fuerunt maioris auctoritatis et potestatis quam Concilium generale Lateranen. Lugdunen. uel Viennen. quodlibetque hic memoratorum fuit eiusdem auctoritatis et potestatis.* 3) *Ea que per doctores puta S. Thomam, Petr. de Palude, Augustinum de Anchona. et ceteros anterioris temporis et successive vsque ad annum Domini M° CCCC° scripta sunt de potestate pape circa generale Concilium et econtra aut nunc sunt vera aut nunquam fuerunt vera.* Extrema sunt: *Ex predictis luculenter constat omnes christianos venerari debere Sanctissimum Dominum Eugenium tamquam verum summum pontificem et vicarium ihesu cristi.* Mendis non abstinuit Librarius; ita *Hysinarium Ep. Reynen.* legas pro *Hincmaro Rhemensi.* Interim tamen Codicem *Basileae* scriptum, et celebrato illi, de quo supra in *Job. de Segovia*, συγγενον habeo. Suspicor Tractatum nostrum extare etiam in illo; lego enim in *Catal. Cod. Mss. Bibl. Reg. Paris.* T. III. p. 112. *Cod.* MCDXLII. qui seculo primum nostro e *Basiliensi* descriptus fuit,